

Petrus de Vinea

Ep. I 7 (Cum Roma sit nostri caput...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. I 7 (Cum Roma sit nostri caput...)

1239, 20 aprile, Treviso

Inuectiue scribit Romanis, eo quod non opposuerunt se domino papae, quando excommunicationis sententiam protulit in eum.

1. Cum Roma sit nostri caput et auctrix Imperii, et Romanus imperator a Romae uocabulo nuncupetur, ut sibi nostri nominis et honoris processus et auspicia debeamus, in admiratione ducimur uehementi, si, ubi promouendus est honor et iniuria propulsanda, apud eos, qui tenentur et debent pro culmine nostro se murum defensionis opponere ab insurgentibus ex aduerso, ipsis audientibus et dissimulantibus contrarium patiamur.

2. Propter quod dolere compellimur, quod Romanus antistes contra Romanum principem Hierosolimitanum, quod alibi non auderet, sicut dicitur, in Vrbe presumpsit Romanum imperatorem, actorem Urbis et benefactorem populi Romani, ipsis non resistentibus, impie blasphemare; 3. ut beneficiorum nostrorum, tam proceres quam populum Romanum, quibus specialiter et communiter studuimus liberali et spontanea munificentia prouidere, et eorum intendimus continuatis augmentis commoda promouere, recte notemus immemores extitisse ac inertes somno detentos; 4. ut de tribu Romulea non esset uir de tot proceribus et tribubus Quiritum, uel de tot Romani populi militibus, qui pro nobis exurgeret et uerbum unicum loqueretur, quique nostrae iustitiae condoleret, cum nos Urbem triumphorum titulis insignitam nostrae uictoriae successibus honoremus, et ad reformandum nomen sicut in diebus antiquis et sedandum statum Romani Imperii continuis laboribus intendamus.

5. Quapropter necessario decreuimus uos requirere, instanter monere, pariter et hortari, quatenus, quod omissum est aliqua negligentia uel torpore, nunc

instante ostendere debeatis, inducentes alios monitis et exemplo, ut omnes et singuli prompta uoluntate consurgant ad nostram et uestram iniuriam ulciscendam.

6. Quia, cum idem blasphemator noster ausus alibi non fuisset in nostri nominis blasphemiam prorupisse, de tanta presumptione gloriari non possit, quod ualentibus et uolentibus Romanis, contra nos talia perpetrasset, cum post id posset uestrae magnitudini imputari: si quod autem fuit, impedire laudabiliter potuistis, et post factum nostram et uestram iniuriam postponatis inultam.

7. Nam cum ad alterutrum teneamur, et nos Romanum honorem et uos Romani defendere nomen nostrum si ad hoc uos et eos negligentes inuenerimus uel remissos, cum nullus timor nos coegerit ad beneficia Romanorum, sed gratia induxerit specialis, per ingratitudinem istam, licet inuiti, cogemur ab uniuersis et singulis exhibitam gratiam reuocare.